

Philip. I. 6. eò etiam celebriori gloria laudibusque interminatis³
canendum est meriò in altitudine Zionis & conflendum ad bonum
Jehova dum facta est anima nostra sicut hortus irriguus Jerem.
XXXI. 11. 12.

Ast proh! Diabolus more Philistæorum omnes divinæ
commiserationis ac gratiæ puteos obturare & super istos rixari
fatagi Cont. Gen. XXVI. 15. f. ut reprobemus aquas Siloah euntes
leniter El. VIII. 6. & fastidiamus Manna velut panem vilissimum
Num. XXI. 5. Quod & deplorando succedit tato non tantum
inter trivole impios, sed & quosvis alios, qui, fiat sæpius sub
Schemate quo velit & possit, Deum deserunt fontes aquarum
vivarum & excitant sibi foveas, foveas confractas, quæ non continent
aquas Jer. II. 13. Quotus quisq; enim (scribo ex B. Lubecenium
qvondam Superintendentis Andreæ Pouchenii Christiana Responsio-
ne ad Jo. Palmerii Sacramentarii Protestationes A. 2.) est, qui nesciat,
aliquot annis elapsis post Rev. & Sanctum Virum Dn. Mart. Luthe-
rum, in eternam requiem & societatem omnium Beatorum translatum,
sacrosanctum & salutiferum verbi divini depositum, multis in fidei Ar-
ticulis horribiliter esse deformatum, dissipatum, depravatum, disjectum
& perniciosissimis corruptelis supra quam fas erat, & dici potest vitiatum
& fermentatum? Id enim etiamsi quis inficias ire magno studio
animum induxisset: tamen fateri velit nolit, cum coegerint tristissima
& funestissima certamina de doctrina, quæ summo cum mœrore & lacry-
mis pia mentes aliquandiu spectarunt, dum in Ecclesia Christi, non
tantum adversus externos hostes Papistas & similes, sed etiam contra falsos
fratres & adulteratores precipuorum Articulorum fidei, qui se verita-
tis assertores & vindices, & catholicos Christi cives precipuos perhibere
voluerunt, certamina suscipienda & sustinenda fuerunt, nisi conni-
vendo & dissimulando sinceri Ecclesie Christi Antistites committere
vellent, veram & sanam fidem extinguere, sincera Dei agnitione Ecclesiam
spoliari & Luce Evangelii posteritatem culpa & negligentia aliena de-
fraudari. Fuerunt quidem, qui hisce dissidiis Doctorum ferventibus
& subinde vires acqvirentibus, optarint sapiissime finem imponi &
prescribi, & Ecclesiam omnino ipsis liberari: Sed ea fuit amentia &
implacabile odium pacis, & tranquillitatis pie in Ecclesia incedende,